

Tentamen medicum inaugurale de pleuritide : quod annuente summo numine, ex auctoritate dignissimi vice-cancellarii Archibaldi Davidson ... nec non amplissimi senatus academici consensu et nobilissimae facultatis medicae decreto pro gradu doctoris, summisque in medicina honoribus et privilegiis rite ac legitime consequendis in comitiis Universitatis Glasguenis / eruditorum examini subjicit Joannes Cumming ... ad diem XXII, Aprilis hora locoque solitis.

Contributors

Cumming, John, M.D.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Glasgow, 1793.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nmdm8dc8>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE

DE
PLEURITIDE.

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII,
ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.
ET COLLEGII GLASG. PRAEFECTI:

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-

GIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

IN COMITIIS
UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES CUMMING, A.M.

MARYLANDINENSIS
SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. HON.
ET PRAESES ANNUUS
SOCIET. AMER. PHYS. EDIN. SOC. EXT.
ET PRAESES ANNUUS.

Ad diem XXII, Aprilis, hora locoque solitis.

Praeterea, lateris vigili cum febre dolorem

Si coepere pati, missum ad sua corpora morbum,

Infesto credunt a Numine &c.

JUVENAL.

GLASGUA E:

IN AEDIBUS ACADEMICIS

EXCUBEAT ANDREAS FOULIS

ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

MD.CC.XCIII.

✓ Foulis index

✓ Smls. index

PRAECEPTORI SUO
GEORGIO BROWN, M. D.
S. R. P. E. S. H.

MEDICINAM APUD BALTIMORE
FELICISSIME EXERCENTI;

ET

JOANNI MONCREIFF, ARMIGERO
R. S. P. E. S. H.

EDINAE DEGENTI,
VIRIS INTEGRIS, BENEVOLIS,
OB MULTA ET MAGNA BENEFICIA
IN SE, SUOSQUE COLLATA;
HASCE STUDIORUM PRIMITIAS
GRATI ANIMI

ET

SUMMAE OBSERVANTIAE

TESTIMONIUM

OFFERT

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

TENTAMEN MEDICUM,

DE

PLEURITIDE.

DE morbo, qui apud Graecos Πλευριτικός appellatur, scribo. Raro non quidem in plagis nostris apud mortales versatur hic morbus; sed quandocunque adoritur, signis tam diris stipatur, et faciem adeo horrendam inducit, ut jure medici curam et attentionem sibi semper vindicet.

Non equidem me aliquid novi de hoc malo prolaturum, existimare audeo: sed varia saepe conspexi stadia ejus, et auxilia omnia, quae ars multorum valde solertium, aut casus fortuito objecit, tentavi. Haec in causa

A

sunt cur hunc morbum feligere exoptaverim.

Omnia fere organa humani corporis, ob quarundam causarum actionem ad inflammationem prona sunt. Autem facillime percipi potest, pulmones eorumque membranas propter fabricam, et propter situm sibi proprium, multo magis quam alia organa ut afficiantur esse aptiores. Muneribus maximi momenti funguntur et sanitas eorum ad valitudinem commodam conservandam omnino necessaria. Debiles, contra aliterve male affecti, morbis gravissimis fundamenta jaciunt; ad quorum naturam investigandam animos suos quam maxime adjungere omnium medicorum est, qui generis humani salutem rite consulere cupiunt.

Alii censuerunt pleuram esse sedem, fere omnium thoracis morborum inflammatoriorum. Alii, contra substan-

tiam pulmonum sedem inflammationis; de qua nunc agitur, praecipue pleuram latiore sensu, occupat; id est, non solum ut thoracis parietes intus contigentem, sed ut mediastinum componentem, et diaphragma superius, pericardium exterius, summos circumcirca pulmones obducentem! cujus pars aliqua ita inflammatur, ut ad alias inflammatio perferatur, et toti membranae affectionem morbosam communicet: vel, ut Boerhaavius vere magnus ait, “ Nulla est pars integumentorum interni thoracis, quam non
“ aggreditur: tota ergo pleura, totumque mediastinum, hinc anterior, posterior, dextra, sinistra, superior, inferior, exterior, profundior pars aequae obsidetur hoc malo: sed imprimis latera.”

Hisce praemissis, ordine rem solito praescripto, nunc dicere progredior.

Pauca autem prius de inflammatione in genere, dicenda putamus.

Cum pars laborare dicitur inflammatione, ea, tumore, rubore, calore, et dolore magis minusve acuto, afficitur. Haec omnia partes aequae externas ac internas invadunt, et secundum locum affectum morbus nominibus diversis dignoscitur: si cerebrum Phrenitis: si oculum, Ophthalmia: si hepar Hepatitis; si renes, Nephritis appellatur.

Inflammatiō externam partem afficiens, a rubore et sensu pulsationis incipere solet: si symptomata gravia, febris adest, sanguis missus, crusta coriacea obductus, prae se novam formam fert. Experimenta clarissimi Hewson clare demonstrant multa lymphae coagulabilis separationem impedire posse, ideoque nonnunquam, crusta absente inflammationem adesse;

et vice versa, ut videmus in variis exemplis morborum, crusta praesente, inflammationem veram abesse. Certe igitur hoc non pro signo haberi debet.

Judicamus partem internam occupare inflammationem, si, cum dolore et febre functiones partium non, uti debent, peraguntur.

DE CAUSA PROXIMA INFLAMMATIONIS.

Causa morborum proxima medicis optimis sagacissimisque, quos secula videre recentiora, argumentum disputationis diu praebuit, diuque forsitan praebabit: nam adhuc sub iudice lis est. “Causa proxima,” ut definiunt scriptores medici, “est illa, quae praesens, morbum facit, sublata tollit; mutata mutat,” et quoniam morbus

non est unus et simplex eventus vel mutatio, qualem in rebus inanimatis, contemplari solemus, et effectum vocare; sed series saepe longa talium eventuum vel mutationum; quarum aliae aliis causae videntur esse; probabile est, rem adeo esse confusam, ut intelligi nequeat. Hinc aliae theoriae alias, ut “unda impellitur unda,” invicem exceperunt, et, ut umbrae fugaces, evanuerunt. Nox illa horrenda, quae alis fuscis medicinam olim circumvolavit, haud quaquam adhuc penitus depulsa videtur. Namque dum ratio morbis nonnullis lumen suum, diu frustra exoptatum, tandem affudit, alii tenebris noctis aequae concubinae atris adhuc involuti manent. Morbus tamen, de quo nunc agitur, evidentem et causam manifestam habere videtur: et opinio eorum est optima, qui causam proximam hujusce, aequae ac fere

omnium morborum, vasis in extremis superficiei corporis, seu spasmo, seu debilitate ortam, posuerunt.

DE CAUSIS REMOTIS.

Causas inflammationis remotas, ad quinque diversa capita retulit Cullenus Illustris; et sub his omnes fortasse comprehendi videntur.

Primo. Ad stimulantia corpori ad-mota.

Secundo. Ad violentiam externam.

Tertio. Ad extranea in qualibet corporis parte inhaerentia.

Quarto. Ad certum gradum frigoris.

Quinto. Ad impetum sanguinis ad partem singularem auctum.

Haec junctim vel disjunctim, ad causam proximam generandam, maximè accommodata videntur.

DE FINIBUS INFLAMMATIONIS

Inflammatiō variis quatuor modis finiri consuevit.

Primo. Resolutione.

Secundo. Suppuratione.

Tertio. Gangraena.

Quarto. Schirro. De natura singulorum perpauca dicemus.

Resolutione finiri dicitur inflammatio, quum morbus statu et textura partis laborantis integris manentibus solvitur. Hoc autem fieri potest ea lege, ut spasmus vel debilitas primaria et congestio mitis sint: id est, cum impetus sanguinis congestionem, spasmum vel debilitatem antecedentem superare, vasque partis laborantis dilatare valuit. Resolutio peragitur quoque, si Diathesis phlogistica evacuatione sanguinis quanquam e remota corporis parte, tollatur.

Suppuratione consuet inflammatio finire, cum symptomata magnae excitationis sine resolutionis signis, per longum tempus extiterunt. Impetus sanguinis adauctus, in parte morbida, vascula exhalantia adeo dilatat, ut magnam copiam feri sanguinis, et nonnunquam partem totius massae effundant integram. Liquor effusus in fluidum albidum, quod pus appellamus mutatur.

Gangraena inflammatio dicitur finire, cum materia in telam cellulosa effusa, fermentatione putrida vitatur. Debilitas summa frigus extremorum, materies ichorosa atra et foetida, talem statum notant. Gangraena vel sphacelus, (nam gradu solummodo differunt, gangraena incipientem putrefactionem, sphacelo jam factam declarante,) effectus inflammationis tantum videntur, cum signa vehementissima sunt, vel cum pars laborans nimiam sensibilitatem habet.

Actio vasorum immodica, in utroque casu extremum gradum debilitatis facit totius corporis aequae ac partium laborantium. Exinde humor effusus, ad ruendum in fermentationem putridam proclivis videtur. Ignoramus tamen quomodo mutatio talis fieri possit.

Prout denique gradus excitationis variat; an a signis vehementissimis, an a nimia sensibilitate oriatur, eadem pars resolutionem, suppurationem vel gangraenam, seu sphacelum praebere potest.

Schirro finire inflammatio confuet: praecipue cum glandula est sedes morbi, et tunc schirrus primarius, inflammatio ut plurimum secundaria. Sed nonnunquam finis est inflammationis in aliis partibus corporis; dum nempe partis laborantis morbus resolutione neque solvitur, neque per sputa expellitur materies effusa, sed manet in vasis

infarcta, et cum illis in tumorem callosum concrefcit.

Inflammatiō pulmonum praefertim, eorumque membranarum faepe finitur per rupturam vaforum fanguinem rubrum vehentium. Effufio fanguinis ipfius, vafa pulmonalia et bronchialia comprimendo, et hoc modo circuitum fluidorum impediendo, aegrotum fuffocat mortemque inducit.

His de inflammatione in genere praemiffis, nunc ad rem propriam tranfeundum.

DEFINITIO.

Quaquam varia loco affectio interna fit, fciri tamen morbus, et ab aliis omnibus diftingui his fignis poteft.

“ Pneumonia (Pleuritis) pulfu duro;
“ dolore, plerumque lateris, pungente,
“ fub infpiratione praefertim aucto:

“ decubitu in latus molesto; tussi do-
“ lentissima, initio sicca, postea humi-
“ da, saepe cruenta.”

Haec definitio Culleni Nosologi illi-
us accuratissimi, omnia morbi phae-
nomena praecipue enunciat: sed fortas-
se haud supervacaneum est, exiguam
partem definitionis Illust. Boerhaavii
adjungere: scil. “ respiratio, immota
“ thorace, maxime ope abdominis fit:
“ tussi fere perpetua, dolorem mag-
“ num inferente, hinc suffocata.”

Sed uti historiam morbi pleniorē
tradamus, necessarium videtur.

SYMPTOMATUM NARRATIO.

Hujus morbi symptomata tam va-
ria atque instabilia, ut omnia nequa-
quam recenseri possint: nec necessari-
um; sed praecipua tantum, vel frequen-
tiora, ut potero, summatim attingam.

Fere in omnibus exemplis a rigore et horrore morbus incipere consuet, et postea calore, inquietudine, anxietate et aliis pyrexiae signis comitatur, quoque dolore in aliqua thoracis parte. Hic primo obtusus est, sed ictibus arteriarum valde acceleratis, acutus fit, et una parte circumscribitur, unum vel alterum latus afficiens, vel dorsum sternumve; et nonnunquam, ut Illust. Pringle meminit, aliqua viscera abdominalia affecta esse videntur. Interdum sedem mutat; nunc unum, nunc alterum latus occupans, partem prius affectam plerumque ex toto liberans. Non raro aeger sensum ponderis potius quam doloris habet; sed hoc est magis symptomata peripneumoniae verae, quam pleuritidis. Tussis sicca, sed per saepe humida et cruenta aegrotum vexat. Facies, oculi, fauces, et lingua rubescunt. Spiritus constanter, maxime inter trahen-

dum, difficilis. Hoc signum, in latus affectum cubando, plerumque intenditur: sed nonnunquam in hoc cubari non potest, interdum supinus jacet, et per saepe erecto corpore sedet. Haec symptomata sub initium morbi, tussi sicca, sed versus finem humida et saepe cruenta (ut definitio eximii Cullenii notat) stipantur.

Sputum colore et spissitudine variat; sub initium coloris expers, vel haud sanguine tingitur, ad extremum albidum, opacum, et interdum subviride fit. Res ita sese habet potissimum in regionibus septentrionalibus; nam in plagis australibus, per totius cursum morbi, flavum. Pulsus crebritatem fere perpetuam habent, modo validi, modo duri citique, et semper morbo progrediente, sanguine detracto, pleniores evadunt. Interdum in regionibus praesertim calidis, per decursum

morbi ictus arteriarum exiles, debiles et inaequales sunt. Cum morbus gravis est, caput dolet, delirium accidit, et Syncope aeger corripitur, pulsus debiles et intermittentes fiunt, et nunc effusio sanguinis mortem inducit.

Hic morbus adultos potius invadit, quam juniores, mares quam faeminas, praeditosque, ut Sydenhamus olim observavit, temperamento sanguineo.

Pleuritis omni anni tempore nasci potest; sed frequentior verno, ut Sydenhamus bene monuit.

Haec autem ad pleuritidem constituendam haud necessaria. Pauca enim eorum Pathognomonica nominantur, eaque in definitione supra posita referuntur. Caetera absentia vel praesentia naturam morbi non mutant.

Sunt alia symptomata, quae nonnunquam hunc morbum comitari dicuntur;

scilicet, Diarrhaea, Epistaxis, Erysipelas. Multum dubito an haec quoque inter pleuritidis symptomata recenferi debeant.

DIAGNOSIS.

Pleuritidem, ut ab auctoribus describitur, referunt Peripneumonia, Pleuritis Spuria. Hepatitis, Gastritis, Splenitis, Carditis.

Non pauci medici pleuritidem a peripneumonia secerni non posse contendunt, et profecto res nonnunquam ultra solertiam hominis est. Quanquam pleuritis et peripneumonia ab iisdem fere causis oriuntur, et quanquam iisdem semper remediis sanantur: symptomata tamen si quis morborum attentus considerabit, is signa quibus distingui possint, saepe non deesse comperietur.

Ita in pleuritide dolor punctiorem evidentem habet, et inter spiritum duce-

endum acutissime sentitur: contra, peripneumonia dyspnaea gravi degravante, sub sterno dolore, pulsu plerumque molli stipatur. In illa anxietas major, in hac dyspnaea cum sensu ponderis: in pleuritide decubitus modo in latus dextrum, modo in sinistrum magis molestus, quam in peripneumonia. Haec ad pleuritidem a peripneumonia plerumque secernendam fortasse sufficient.

Pleuritis, a pleuritide spuria, vel pseudopleuritide facile dignosci potest. Tumor et rubor in parte externa plane nonnunquam apparent. Spiritus parum difficilis. Difficultate respirandi modica sine febre acuta comitatur pleurodyne. Tussis semper sicca, et dolor acutissimus pressura in partem externam facta.

Si aeger hepatitide afficiatur, decubitus in latus sinistrum molestus, in dextrum facilis est; et tensio dolens hypochondrii dextri, sub costis spuriis sensu ardoris, tussi sicca, faciei colore flavescente, siti, anorexia, singultu, et vomitu.

tu stipatur.

Ardor ventriculi, vomitio, anxietas, tensio ad tactum dolens, pulsus debiles, et nonnunquam singultus focii gastritidis, differentiam pleuritidem inter et gastritidem notant.

Pleuritis et splenitis a se invicem primo etiam intuitu distingui possunt. Namque in hac tumor in hypochondrio sinistro est, lienis molem et figuram referens aut locum ejus occupans, signaque multum pressura augentur.

In carditide, dolor in latere thoracis sinistro situs est, quem pulsus intermittentes, palpitatio cordis, syncope, quandoque etiam febris acuta, pulsus duri, et dolores pungentes sequuntur.

In latere dolorem quoque, qui pleuriticus credi possit, vermes in intestinis excitant. A quo distinguendus utique inconstantia sua, item pulsuum tenuitate ac inaequalitate, postremo Vermium supra aut infra rejectione videtur.

Hisce variis signis pleuritis ab aliis morbis facile dignoscetur, quibuscum confundere solemus.

CAUSAE REMOTAE

Proxime aggrediendae sunt. Quae, cum quidem homines sunt, quos vix ulla noxae externae vis morbo adficiat, alii-que qui ex levissimis causis facillime in eum incidant, ideo hujus rei ratione habita, in seminia et causas occasionales, seu potestates nocentes rite digerendae videntur. Seminium est interna conditio corporis, qua fit ut, oblata potestate nocente, morbus incidat. Rursus potestas nocens est externa vel aliena vis, quae, existente intus seminio, idem efficit. Morbus igitur conjunctim utriusque et neutrius per se, opus est.

SEMINIA.

Omnes causas, quae mortales ad hunc morbum proclives reddunt, recensere hujusce opusculi limites vix finunt. Igitur maxime insignes tantum percurrere sufficiat. Hae sunt omnia, quae proclivitatem ad plenitudinem dare valent. Hujusmodi sunt firmorum simplicium densitas rigiditasque, vivorum tonus validus, contractilitas et irritabilitas. Haec conditio corporis vel naturalis est vel consuetudine acquiri potest.

Naturale Seminium id est, quod in temperamento, aetate, aut sexu consistit. Acquisitum est id, quod a certis rebus, progrediente vita oritur. Quae res feminiorum causae rursus dici queunt.

Hae causae, seu seminia facientia sunt frigus diuturnum, victus lautior, usus cibi animalis nimis conditi, excretiones imminutaeque secretiones, sanguinis perdendi consuetudo, evacuationes

per setacea et fonticulos factae, exsiccatæ. Suppressio profluvii hæmorrhoidales idem præstabit. Membrum amputatum pro causa haberi potest, quia circuitus sanguinis circulo minore circumscribitur et igitur plenitudo ad spatium formatur.

Temperamentum insuper sanguineum, quod, ut Gregory Eruditissimus in Conspectu Med. Theor. testatur, “ præ aliis, sanguinis nimiae abundantiae et vehementi motui febribus, morbisque inflammationem habentibus imprimis obnoxium est.” “ Sic temperamento,” inquit Sydenhamus, “ sanguineo præditos, præ reliquis aggreditur, facpe etiam rusticos et duro jam fractos membra labore.” Nec alienus ab iis morbus est, qui duro atque impuro victui, scilicet, fructibus leguminosis, carnibus et piscibus salitis fumo induratis potuique spirituofiori, præsertim vini spiritui, plus justo per vitam assueti sunt. Hujus modi “ sunt ve-

natores," ut Triller inquit, " Milites,
" olitores, rustici, cursores, aurigae,
" equifones, et id genus ex ima cavea
" alii.

Quin etiam aetas sexusque homines
opportuniores reddunt pleuritidi. Ju-
venilis morbo maxime patet, quia ibi
irritabilitas et tonus sunt maxima.

Cum haec in illis, qui aetate provec-
ti sunt, defint, etiamque in illis, quibus
multum aetatis nondum accesserit, senec-
tus et pueritia ei plerumque immunes
sunt. Viri quoque multo magis, quam
foeminae ad morbum proclives: forsitan
quia hae fibris tam robustis tensisque non
sunt praeditae. Conditio fibrarum
huic adversa, quae foeminis est, a vita
sedentaria, nimia quantitate liquorum
debilitantium, ut Theae et Coffeae, o-
ritur. Haec irritabilitatem adaugent, et
debilitatem procreant: qui status a na-
tura morbi ex toto alienus.

Sed si foeminae pleuritide corripian-
tur, ut Triller meminit, multo magis

diros effectus patientur, quam viri: quia causae fuerunt validissimae, quae pleuritidem in foemineo sexu minus praedispósito excitare potuerunt.

Praetera conformatio ea, quae spatium per quod sanguis in pulmonibus transit, imminutum ponit, viam pleuritidi sternit. Si thorax nimis angustus vel distortus sit, minus spatii quam necessarium, pulmones habebunt, ideoque vasa illis eorumque membranis, aliqua ex parte comprimuntur. Rebus ita sese habentibus, si aliquid impetum sanguinis ad pleuram adauget, congestio fiet, et inflammatio.

Postremo, priorum morborum effectus notandi. Hi ejusmodi sunt, qui, aut relaxando, et sic ut vasa plus justo sanguinis recipiant efficiendo, aut liberum eorundem per quod is transire debet, spatium coarctando agunt.

Prioris generis est Pleuritis ipsa, prius incidens: posterioris sunt schirrus et tu

bercula in superficie pulmonum, et denique quicquid vasa comprimere potest.

CAUSAE OCCASIONALES.

Omnia ea ad stimulantia et spasnum vel debilitatem, a frigore proficiscentem redigi possint. Frigus quidem an spasnum an debilitatem superficiei corporis inferat, plane vim ultime stimulantem exercet. Nam vasorum diametris, dum eadem sanguinis copia intus est, imminutis, is difficiliter transfluit, ideoque vasa distenduntur. Distensio stimulat, excitat, Hac operatione impetus sanguinis cor versus, majore vi quam naturale agitur. Cor pari ratione excitatur et demum cerebrum ipsum. Eandem ob causam, quia vasorum et ipsius cordis actio a cerebro pendet, frigus hoc incitando illam auget. Frigus hoc modo longe frequentissima tam pleuritidis, quam reliquarum omnium phlegmasiarum, causa occasionalis est.

Plerumque efficacissime, post corpus calefactum, magnamve intemperantiam agit. Namque corpore nimis calefacto, magna copia materiae perspirabilis ex eo proficiscitur. Evaporatio hujus quoque quantitatem caloris exhaurit, et igitur multo plus frigoris facit, quam si corpus non calori insolito expositum fuisset. Praeterea, post calorem insolitum frigus acutissime sentitur, ideoque majorem effectum habeat, necesse est.

Caeterum hoc loco per stimulantia, praeter potestates frigoris, victus materia intelligitur. Sub materia victus, cibi genus potionisque comprehenditur. Diversa genera cibi, propria actione, stimulare dicuntur: alia, quia perspiratu difficiliora. Exempli gratia, caro recens, solitaeve salis communis proportioni juncta, actione propria stimulare dicitur: contra pisces, caro fumo indurata, quidam fructus et ra-

dices stimulant, quia minus, ut creditur, materiae perspirabilis possident. Quantum ad potiones attinet, vim stimulantem habent omnia vini genera et liquores fermentati. Pars corporis, in quam haec omnia agunt, intima omnium est, ibique tum nervi, tum fibrae vasorum musculares stimulantur, et ad omnes usque remotissimas partes transferuntur tonus et contractilitas aucta; in quibus diathesis phlogistica plane consistit. Liquores fermentatos genera vini diversa, cibique salinam materiam, ad tales effectus edendos multum conferre, facile videmus. Quo modo alia stimulant, difficilius explicatu; sed forsitan tantum per molem distendunt, irritant, excitant.

DE CAUSA PROXIMA

Causae suprae enumeratae sanguinem ab actione frigoris in arteriis extremis posse congeri monstrant. Congestus sanguis

arteriarum tunicas distendit, et hac distensione frequentiores solito contractiones concitantur. Impetu sanguinis versus thoracem aucto, pleura vel quaedam pars substantiae pulmonum, praesertim si ulla debilitas praecesserit, inflammatione congestione prius facta, corripitur. Si omnia symptomata et consilia medendi quilibet attentus explorabit, is causam proximam a constrictione vasorum extremorum proficisci opinabitur. Utrum vero haec constrictione a spasmu, vel debilitate oriatur; omnia auxilia eam adesse monstrant. Quod notioni causae proximae Illustris Gaubii omnino respondet, qui de hac re differens inquit, “ hac posita, morbus continuo se manifestat, hac ablata, tollitur.

Igitur constrictione vasorum extremorum, pro causa pleuritidis proxima, habenda.

RATIO SYMPTOMATUM

De finibus inflammationis jam actum fuit, nunc pauca de signorum explicatione dicere progredimur.

Omnia minutissima morbi signa recensere non necesse est; sed ea tantum, quae pathognomonica nominantur, et quae in definitione Culleni supra posita comprehenduntur.

1. Pyrexia. Qua ratione frigus, causa pleuritidis maxime communis, constrictionem, quam horror et sensus frigoris semper comitantur, vasis corporis extremis inferat, supra explicavimus. Pyrexia in tali conditione, cum renisu subsequente, plane consistere videtur.

2. Pulsus Arteriarum duri. Cum inflammatio partem mollem et laxam quae magnopere distendi potest occupat, vasa sanguifera facile dilatantur: sed si affectio membranam densam et firmam teneat,

vafa non absque fumma difficultate contenduntur. Quo difficilius vero vafa tenduntur et dilatantur, eo duriores semper sunt ictus arteriarum. Hanc ob causam pulsus duri in plueritide; in peripneumonia contra, ubi pars mollis laborat, vafa impetui sanguinis facilius cedunt pulsusque molles fiunt.

3. Dolor plerumque lateris pungens sub inspiratione praesertim auctus. Dolor, qui distensione vasorum quae nervis sunt instructa, nimia oritur, semper relationem ad vim distensionis habere debet. Vasa autem, per impetum sanguinis ad se factum, aegrum sensu punctiois vel lacerationis, qui omni inflammationi vehementi partis membranaceae communis est afficere possunt. Sin autem pulsus arteriarum duri, et dolor sub initium pungens sint, et morbo progrediente, sine propriis resolutionis signis, pulsus molles dolorque obtusus fiant, tunc licet concludere inflammationem a parte prius affecta in

substantiam pulmonum, iter sibi fecisse. Ob nexum membranam inter et parenchyma arctissimum, et vascula forsan communia, fieri vix potest, quin haeduae species saepe commisceantur, vel altera alteram excipiat. Minime mirum est, dolorem motu pleurae per inspirationem facto augeri; cum bene notum sit, partes inflammatione laborantes, motum sine auctu doloris tolerare non posse.

4. Decubitus in latus molestus. Partes inflammatae nimia sensibilitate et magna irritabilitate sunt instructae, et tactus fere semper sensationem doloris excitat. An pondus pulmonum, partes inflammatas comprimens eundem effectum habet? Cum aeger majorem dolorem ob decubitus in alterum latus percipit, fortasse adhaesiones, pleuram pulmonalem inter et costalem, rationem ejus reddunt. Nam pondere ablato, pulmonum inspiratio exactiorem distensionem facit.

5. Tussis dolentissima initio sicca, postea humida, saepe cruenta. Cum tussis universos pulmones agitet graviterque concutiat, dolor inde maximus oritur oportet. Sub initium vascula bronchiorum exhalantia constringuntur, parum nihilve excerni patiuntur, ideoque tussis est sicca. Postea, morbo ad sanitatem vergente, vasa constrictione diminuta vel sublata relaxantur, excernunt, et tussim humidam reddunt. Si cruentum sit sputum, hoc incidit, quod distensio vel vascula rupit, vel extrema iis ita laxavit, ut globuli rubri finibus eorum possint elabi.

PROGNOSIS

Exitus hujus morbi non idem est in omnibus. Quinetiam nonnunquam adeo mitis et nullius momenti videtur, ut vix medicina egeat. Saepius tamen pertinax est, nec ullis, nisi diu caute et assidue adhibitis auxiliis, sanandus.

Morbi praefagium a pyrexia, spiritus, tussis, et doloris statu praecipue petendum est. Pyrexia vehemens magnam constrictionem indicans, aucto dolore, spiritu valde difficili et delirio feroce stipata, mortem portendit. Sudor circa caput et cervicem promanans, et pulsus irregulares effusionem magnam indicant, et periculum praesertim si eum anxietas magna et dyspnoea gravis subsecutae fuerint, pro sua vehementia denunciant. Magna circa praecordia oppressio, color faciei ruber, lividus; sputum vel diminutum vel omnino suppressum; denique coma, stupor et subsultus tendinum, quae nonnunquam accidunt, signa sunt infauissima.

Tussis crebradolorem valde exasperans, plerumque malum gravissimum ostendit. Dolor acutus, respirationem multum impediens, perpetuo est signum gravis morbi, sed non gravioris quam obtusus, spiritu difficili stipatus.

Spiritus difficultas quo major est, eo peior. Si in alterutrum latus decumbi potest, hoc melius quam si in neutrum nequit. Pejus, si in tergum tantum, hocque solum, cervice erecta. Dolor ab altero latere ad alterum transgressus, potius est malum signum, quia diathesin phlogisticam in reliquo corpore magnam, in partibus affectis exquisitam ostendit. Materia crassa, alba, subflava, sanguine tincta, larga et sine vehementiore tussi rejecta, morbi ad solutionem tendentis testimonium est. Vero notae a colore sputi deductae plerumque sunt fallaces, ut Cullen. Illust. meminit.

Finis faustus expectandus est, cum spiritus facile trahitur, urina sedimentum pulveri lateritio simile deponit, tota corporis superficies humida, cutisque mollis est. Idem, ut Clar. Duncan in suis praelectionibus dixit, expectandum est, si sanguis e naribus vel ulla alia parte ante diem quartum, erumpat.

Denique, si omnia signa inflammationis sanguinis detractone vel aliis remediis, levare incipiant, prognosis fausta speranda.

Ex hisce variis signis et talibus, quae adeo communia sunt, ut vix enumerari merentur, prognosis fere semper fausta deduci possit.

RATIO MEDENDI

Consilia autem medendi sunt.

Primo. Signa quae gravissime urgent, levare

Secundo. Constrictionem vasorum extremorum tollere.

Tertio. Sputi rejectionem expedire

Quarto. Vires finem morbi versus sustentare-

Quae ad primum consilium multum conferre videntur, ea sunt,

- | | | |
|----|--------------------------------------|------------------------|
| 1. | Generalis et
Localis | } Detractio sanguinis. |
| 2. | Epispastica parti dolenti applicata. | |

Ineunte morbo, cum dolor jam pectus affecit, febre ad inflammationem spectante, celebranda est venae sectio, Hoc auxilium optimum, in hoc morbi stadio praecipue adhibere solent medici fere omnes. Iterandum usquedum signa paulum minuantur. At cum morbus est provector, dicitur ut nunquam aut rarissime, nec sine summa observantia, idem esse utendum, quia frangendo vires mortem citius infert. Sed si in initio morbus neglectus fuerit, per provectora etiam stadia, lancea utendum est. Variat autem sanguinis mittenda quantitas, prout diverse se habent aegri aetas, sexus, robur, mores quibus antea assueverat, signorum nec non violentia, et anni tempestas. “Pulcherrime juvat” inquit Van Swieten, “si ex vena majore per vulnus
“ amplum, celeri fluxu exeat; hinc in
“ cubito praestat venam aperire quam
“ in manu. Non enim haec sanguinis
“ missio instituitur tantum ideo, ut co-

“ pia minuatur, sed etiam ut, subita tali
“ depletione facta, arteriae obstructae
“ minus jam urgente sanguine arterioso,
“ contractae retropellant massulas obf-
“ truentes in majores ramos, sicque tol-
“ latur inflammatio.” Caeterum, ut i-
dem auctor admonuit, cum larga et
subita venaesectione opus sit, praestat
aegrum supinum cubare, nam deliqui-
um animi si erectus sederet sequeretur.
Quantitas, quam mittere bonum est, in
diversis multum variat. Plerumque con-
tinuari debet evacuatio, donec dolore
imminuto, aeger liberior inspirare pot-
est. Si divisionem vasorum spectemus
neutrum alteri anteponendum latus vi-
detur. Ita si aegrotantes, vel Chirurghi
commodum aliquod postulet ab altero ad
alterum decurramus.

Digitalis debilitat corpus, et diminu-
tionem excitationis producit, forsan sa-
lutiferum remedium in morbis inflam-
matoriis adhuc invenietur. Saltem ex-

perimentum, apalogia aliorum sedantium auctoritate muniri videtur.

Cum tantum sanguinis, quantum tuto emitti posse videtur, brachio detractum fuit, aliquando plus per cucurbitulas cum ferro, et scarificationem, eliciendum. Quo in casu, quam proxime partem laborantem sanguis, cucurbitulis concisae parti impositis, auferendus est. Eodem quoque tempore, remedia sputum promovendi causa possumus dare.

Post venaesectionem, emplastra epispastica multum profunt. In omnibus fere exemplis, epispasticum post primam detractionem applicari debet. Sed si morbus violentissimus sit, venaesectio iterum celebretur, et postea vesicat. applicetur. Ad hoc remedium item decurrendum est, si, venaesectione saepe incassum celebrata, auxilioque ferme omni irritato, manent adhuc pleurae vel pulmonis laesi signa, et ulcus quod fit apertum, ope cujusvis unguenti stimulantis, servandum.

Operatio epispasticorum in morbis inflammatoriis est valde obscura, sed praxis fere omnium ea utilissima esse monstrat. Forsitan derivatione agunt, vel vi antispasmodica optimos effectus edunt: vel ut major minorem stimulus depellat, faciunt.

Cum polo Phoebus roseis quadrigis
Lucem spargere coeperit,
Pallet albenteis habitata vultus
Flammis stella prementibus.

BOETH. DE CON. PHIL.

Quoniam sanguis, quomodocunque ad interiora, pulsus morbos inflammatione signatos praecipue adauget, consilium secundum hic positum, utilissimum fore constat.

Huic sufficiant forsan, quae sequuntur remedia.

1. Cathartica
2. Emetica

3. Refrigerantia.

4. Diaphoretica.

Cathartica humorum corpore comprehensorum quantitatem imminuunt, et quandocunque missio sanguinis est necessaria, adhibere possunt, quia systema potenter relaxant et multa expellunt, quae corpus valde excitant. Diarrhoea quidem aut sub initium, aut sub finem morbi accidens raro prodest: ideoque alvum per enemata emollientia, aut per laxantia, modice adhibita, solutam tenere sufficiat.

Emetica fere semper concutiunt et irritant, et ergo magno periculo non vacarent. Caeterum portiunculæ emeticorum, nauseam promoventes, prodesse repertæ. Sed anxietas magna quæ usum eorum comitatur, nonnunquam multo magis intolerabilis est quam morbus ipse; et, ut emetica, quando optimos suos effectus edunt, potestatem tantum sudorem promovendi habent: hunc fere sem-

per me iudice, aliis rebus nos excitare decet, quae non eundem gradum anxietatis movent.

Refrigerantia. Horum praecipue sunt acida omnia satis diluta, et sales medii. Ex acidis vitriolicum et vegetabile potissimum in usu sunt: acidum vegetabile, quia liberius et gratius adhibere potest, alvoque laxandae accommodatius est, vitriolico anteponendum.

Ex salibus mediis, aqua ammoniac acetatae, et lixivae nitrosae multum juvant. Acida pariterque sales neutri tussim, praeterquam in paucis, qui singulares habitus, qui *Ιδιοσυγκρασια* Graece nominantur, habeant, non movent: quod cum non faciunt, tunc utilissima sunt. Ob confortium, quod stomachum inter et cutem obtinet, sudatio fere semper usu salium neutrorum, sed potissimum lixivae nitrosae, olim salis nitri dictae, promoventur.

Diaphoretica. Sudor sua sponte prorumpens saepe morbum solvit. Sed cum

morbi symptomata ictus arteriarum et cordis aucti sint, non excitandus, nisi per ea, quae vim non magnam stimulantem possident. Omnia fere diaphoretica excitationem systematis augent, sed nonnulla sunt, quae suis officiis in vasis extremis superficiei corporis, perfungi videntur. Quorum praecipua sunt hydrargyri variae praeparationes. Notum diu bene fuit, hydrargyrum omnibus medicamentis in morbis inflammatoriis jecinoris praestare: et meo dilectissimo amico Georgio Brown M. D. de Baltimore, ex analogia, in aliis inflammatoriis morbis, sed praecipue in pleuritide, periculum ejus facere fuit persuasum. Nec erravit; nam experimentis clare demonstravit pleuritidem sine periculo, usu hydrargyri, fere semper curari posse. Duobus granis hydrargyri muriati mitis olim calomelanos, vel mercurii dulcis dicti pro dosi, cum 3 parte grani Opii conjunctis 3 vel 4 quaque hora, per pri-

mum et secundum diem, per saepiusque ad finem tertii vel quarti, donec diaphoresis moveatur, utitur.

Venaesectione celebretur, et postea emp. episp. applicetur, tum hydrargyrus detur. Hoc modo fere sudationem absque calore, aut ictibus arteriarum auctis promovet. Proculdubio omnium medicamentorum, hoc in malo felicissimum est.

Quantitas humorum, perspiratione aucta diminuitur, ergo necesse est aliquo potu uti. Decoct. fortasse, vel infus. rad. fenekae omnium est optimus; nam praeter quantitatem aquae, quam continet, quasdam vires cursum ad superficiem facientes possidet. Usu nonnunquam eorum quae sudorem movent, diathesi inflammatoria aucta, morbus exasperetur. In tali casu illis abstinendum, et medicamentis supra enumeratis utendum est.

Ad tertium consilium transeundum.

Gummi calefaciunt. Scillae, ex nausea quam movent, incommodo sunt. Ex

omnibus vero aliis medicamentis demulcentia mucilaginosa, cum variis præparationibus opii, huic consilio maxime accommodantur. Sed usus mucilaginum, quia corpore non propria natura, recipiuntur, solus esse videtur a muci acrimonia membranam glottidis irritante, et sic tussim crebram excitante, defendere. Cum opium, quanquam parva quantitate misturæ mucilag. junctum sit, quietem faciendo, somnum reducendo, motus inordinatos compescendo, plus prodest, quam irritando vel stimulando, vel diathesin phlogisticam excitando noceat, ad id decurratur. Nec sputum, ut nonnullis placuit suppressit, contra diathesi phlogistica aliis remediis pene sublata, sputum promovet, copiosiusque efficit. Itaque opium ad irritationem tollendam, et expectorationem promovendam, plurimum confert et semper adhiberi debet, cum nihil obstat. De hac re vero sagax medicus judicet.

Vapores aquae calidos per idoneum apparatusum inhalare utile, ut Ds. Mudge monstravit.

Nunc ad postremum consilium ventum est.

Debilitas non parva saepe finem morbi versus oritur: sic vires redintegrare et sustentare maxime necessarium.

Diaeta nutriens, vinum, exercitatio corporis animique modica, ad hoc multum conferunt. Ad calorem et sudores nocturnos, qui pleuritidem notantur sequi, compescendos, cortex peruvianus et acidum vitriolicum accommodantur. Denique in diarrhaea, quae vexat et aegrotum debilitat, astringentia et tonica, scil. Kino, terra Japonica, Rad. Gentianae, Pul. Chamaemeli, cum variis ex opio praeparatis, sunt optima remedia. Vomitione fortasse interdum opus est, quae stomachus suis sordibus liberetur.

Restat hic solummodo, ut per pauca de variis rebus quales vero vix inter con-

filia jam recensita potuerint comprehendi, proferam.

Regimine antiphlogistico utendum est. Calor fervidus evitandus, frigusque. Temperies cubiculi haud unquam gradum thermometri Farenheiteani sexagesimum excidere debet; et nimia toralia prohibere medicum oportet: nec ulla res magis quam diaeta aegrotantis attentionem vindicat. Tenuis, imbecilla et haud nutriens, inflammatione vehemente durante, debet esse. Eodem tempore sedulo est cavenda exercitatio, etiam quaecunque musculorum validiora conamina postulant, moneatur aeger ut moestitiam, aerumnas pariterque iram refugiat. Medicus vel reditum ad sanitatem, vel progressum ad mortem quam maxime mollem et jucundum reddere conari debet; et hoc modo, officio duplice et amici et medici fungi.

Jam argumentum, quod mihi tractandum suscepi, pro ingenii mei viribus

absolutum, vobis affero. Quidnam in eo
illuſtrando præſtiterim, penes vos viri
celeberrimi, judicium eſto. Erroribus,
qui inſunt plurimi haud dubio, pro veſ-
tra humanitate et manſuetudine ſolitis,
ignofcatis oro,

Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum.

VIRG.